

1521

cipes officiis, & pecuniae vi Hungaricas res juvare nixus fuerat, eidem Oratori ex foedere triginta aureorum millibus persolutis. Verum temporum conditionibus, quin praesentibus postulatis assentiretur, remorabatur; praeципue vero in Italiæ praecordiis furente bello, quod per tot annos Venetorum civium vires haud parum debilitaverat. Itaque S. C. Legato responsum est: Quæ prospera, vel adversa regno Hungarico accidissent, semper veluti propria Rempublicam existimasse; ob bellum, quod Pannoniae a potentissimo Turcarum Rege immineat, vehementer commoveri; verum eo loco Venetas res esse, ut praeteritorum temporum casibus attritas, nihilominus rursus in belli Italici tempestates incidere necesse sit: quocirca regni vicem dolere, fateri nihil adversi illis accidere posse, quin ad reliquas Europæ partes pertineat, belli fluctibus in Italia residentibus, priscae in nobilissimum regnum benevolentiae, ac pietatis signa edituram. Sed cum Turcarum ingenti conatu in summum discrimen Pannonias adduci Ludovicus cerneret, atque ab omnibus Christianæ Reipublicæ Proceribus subsidia sedulo flagitaret, Joannem Statilium Evursiensem Praepositum, qui a Senatu denuo opem, auxiliumque imploraret, Venetas misit: illum xij. kal. octobris Sapientum Collegium ingressum in hanc sententiam locutum esse constat.

Etsi qui Pannonicarum rerum status, Princeps Serenissime, Amplissimi Patres, vobis notum esse Ludovicus Hungarie Rex sibi persuadeat; quique erga amplissimum regnum vester animus semper fuerit, illustribus argumentis nullo non tempore perspexerit; attamen ut me extruordinarium Legatum ad vos mitteret, plurima permoverunt; præpotentis Turcarum gentis adversus Pannonias bellum, hostium numero, ac viribus formidolosum; minime ad tantum onus sustinendum pares regni vires; amplissimæ istius Reipublicæ in illud semper spectata, atque egregia officia; Regis vobis addictissimi in gravissimo hoc Senatu spes, ac præsens fiducia. Neque enim antea Ottomana gens nomini Hungarico inimicæ, quæ semper crudeles iras, implacabile odium nobiscum exercuit, aut militum copia, aut tormentorum apparatu instructior, aut imperatoris virtute magis subnixa, regnum nostrum invasit; qui cum immensum fere undique militum numerum comparaverit, armis, equis, viris,

*Joannis
Statili
Hungarie
Legati ora-
tio.*

H. Mauroceni T. I.

C bel-